



# **Dissertatio chymico-medica inauguralis de necessitate chymiae ad stabiliendam rationalem theoriam medicam**

<https://hdl.handle.net/1874/35079>

DISSERTATIO CHYMICO-MEDICA  
 INAUGURALIS,  
 D E  
**Necessitate Chymixæ ad Stabi-  
 liendam Rationalem Theo-  
 riam Medicam;**

QUAM  
 DUCE ET AUSPICE DEO TER OPT. MAX.  
*Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,*  
**DAVIDIS MILLII,**  
 Linguarum Orientalium Professoris Ordinarii,

NEC NON  
*Amplissimi Senatus Academici consensu, & Nobilissime  
 Facultatis MEDICÆ decreto,*  
 PRO GRADU DOCTORATUS,  
 Summisque in MEDICINA Honoribus & Privi-  
 legiis rite ac legitime consequendis,  
*Eruditorum Examini submittit*  
**JOACHIM GEBHARD HIMSEL, Riga-Livonus.**  
*Ad diem 2 Octobr. loco horisque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,  
 Apud GUILIELMUM VANDE WATER, Aca-  
 demixæ Typographum. MD CC XXV.



DISSERTATIO CHYMICO-MEDICA  
INAUGURALIS,

D E

Necessitate Chymixæ ad Stabi-  
liendam Rationalem Theo-  
riam Mediam.

P R O O E M I U M.



urpe sane dictu est, quod vix ulla disciplina majorem dissentientium habeat numerum, quam Medicina, licet hæc omnium scientiarum propemodum sit nobilissima. Si enim illam a primis incunabulis ad nostra prope contemplamur tempora, unusquisque fere Medicorum novam sibi finxit Theoriam, & postea hisce suis hypothesebus totam superstruxit Praxin, unde non mirum est, quod in ipsam quoque Praxin tot ac tam enormes irrepserint errores, Theoria enim rationalis fundamentum est totius Praxeos, vitium autem quod in fundamento committitur ædificii irreparabile damnnum superstructis ædibus inferre solet. Fons vero genuinus & origo omnium hypotheseum variarumque opinionum hic mihi esse videtur, quod Medici ex rebus ipsis, ut ita dicam, sapere noluerint, sed accuratioribus neglectis observationibus, nec non omisso Anatomies & Physices studio, sibi a priori quædam excogitarint Principia, quæ postea semel assumpta strenue defendentes

in omnibus Medicinæ partibus applicarunt. Cum vero ante aliquot demum lustra Anatomia majori studio exulta, nec non rejecta vererum Physica mere nominati, Philosophiæ experimentalis studium certis observationibus ac experimentis fundatum sit, tota quoque Medicina aliam induit faciem, nititur enim jam duobus fulcris firmissimis Experientia videlicet ac Ratione. Primario itaque Medicus de veritate facti sollicitus esse debet, & omni attentione singulas tam instatu naturali quam præter naturali occurrentes circumstantias bene annotare, & tunc demum allaborare, ut veram de iis rationem reddere possit, & quidem non ex commenta aut fictitia sua hypothesi, sed ex principiis evidentibus, indubiis & veris, quæ illi præsertim suppeditabunt exactior cognitio corporis anatomica, nec non Physica tam Dogmatica quam Experimentalis, quæ tamen simul scientiam motuum ac Chymiam complecti debet. Cum vero de usu Anatomix, & necessitate Physices præsertim in Praxi medica Ill. Hofmannus Præceptor ac Patronus omni honoris cultu prosequendus, in duabus hunc in finem eleganter conscriptis Dissertationibus egerit, placuit mihi de specimine inaugurali edendo meditantî, *Necessitatem Chymix ad Theoriam medicam rationalem stabiliendam* demonstrare, præsertim cum a prima statim juventute singularem ad hocce studii genus ardorem in me perceperim, & sic dirigente divina numquam sæ deprædicanda clementia etiam aliquales progressus in eo facere licuerit ex singulari indulgentia Viri Excellentissimi D. D. Martini Physici Rigenfium primarii longe meritissimi, Patroni ac Fautoris ad cineres usque devenerandi, & pie colendi. Haud vero immemor imbecillitatis meæ, sed optime conscius quid humeri valeant, quidve ferre recusent D. T. O. M. supplex oro, divina sua clementia hisce primis meis conatibus assistat, ut sicut omnia, sic etiam hæc in ejus cedant honorem & gloriam.

§. I. **C**um itaque mihi proposuerim de necessitate Chymix in arte Medica disserere, ante omnia necessarium duxi, brevem Chymix totius præmittere conspectum. Est vero Chymia ars, quæ demonstrat, quomodo singula corpora in sua principia redigenda, aut ex hisce alia nova producenda: Ex qua definitione reali in propatulo est, nos Chymiam intelligere rationalem experimentalem, quæ non solis speculationibus contenta, sed experimentis occupata est, quo tam a posteriori eo melius intimiora corporum perlustrare, quam

a priori ex variis experimentis concinnatas conclusiones ac axiomata per ipsam experientiam & autopsiam corroborare possit.

II. Objectum Chymix sunt singula corpora sublunaria, tam animata, quam inanimata, ex tribus regnis depromta, quibus cum experimenta instituere concessum est artifici, cujus finis duplex: Diæresis nempe & Synæresis quarum prior occupata est circa resolutionem corporum in sua principia, altera vero, etiamsi aliquando synæresin supponat, versatur præsertim circa productionem novorum corporum, ubi tamen statim præmonendum censeo, minime mihi mentem esse, veritatem Canonis metaphysici infringere: *Essentias rerum immutabiles esse*: sed per nova corpora intelligo producta ex corporibus mixtis naturalibus, antea jam præexistentibus, quæ tamen ab his ita aliquando differunt, ut nulla plane similitudo ea intercedat, quamquam revera ex iisdem consent principiiis, saltem ratione quantitatis alio modo combinatis.

III. Usum denique Chymix quod concernit, ille sane tantus est, ut non solum pleræque scientiæ mutilæ & mancæ sine illa forent, sed & si ipsam vitam communem respicimus, ea nullo modo carere possumus, plurimis enim commodis, quæ ex arte tinctoria, vitriaria, fuforia, metallurgia aliisque experimentis chymicis in oeconomiam, & cætera negotia domestica redundant, orbatî essemus. Quæ vero res cum tam clara sit, ut nullum inde moveri queat dubium, supervacaneum mihi videtur, hanc pluribus exemplis ac testimoniis corroborare, præsertim cum id longe a scopo nostro alienum sit, quem tamen ut eo melius assequamur, pauca etiam de requisitis veræ theoriæ medicæ præmittere placet.

IV. Per veram autem & rationalem Theoriam Medicam intelligimus eam, quæ ex principiiis clavis, evidentibus, facile demonstrabilibus, ex Anatomia, Physica, Scientia motum, & Chymia depromtis, non solum rationes reddit de iis, quæ circa hominis statum tam naturalem quam præter naturalem observantur, cur ita fiant, nec aliter contingere possint; sed etiam modum operandi remediorum ex iisdem explicat principiiis. Quæ definitio vera & realis instar lapidis lydii infervire potest, ad aliorum dijudicandas Theorias, an veræ sint & simul sufficientes ad singula, quæ in Medicina occurrunt phænomena explicanda, aut non? Hæc sunt quæ necessario præmittenda esse credidi, antequam rem ipsam aggrediar. Jam vero meum erit, ea qua

fieri poterit brevitate singulas Medicinæ partes percurrendo, Necessitatem Chymicæ in stabilienda rationali Theoria, per aliquot pro lubitu ex unaquaque Medicinæ parte electa, sufficientia tamen argumenta demonstrare.

V. Physiologiam itaque si primum intuemur sane multa in ea occurrunt, quæ neque recte intelligi, neque rite explicari possunt nisi ope Chymicæ. Hæc enim recludit corporis nostri mixtionem, quæ a priori nullo modo cognosci potest; per analysin autem Chymicam discimus, quod corpus nostrum & singulæ ejus partes, tam solidæ quam fluidæ mixtæ sint ex Aqua, Oleo, Terra & Sale; quæ utpote diversa principia, male ineunt mixtionem sed facile putrescunt, unde Medicus a priori cognoscit, corpus sibi relictum valde pronum esse ad corruptionem ac putredinem, nisi motu continuo ab hac liberetur.

VI. Quamquam vero singuli corporis nostri humores ex hisce principis sint mixti; mirum tamen in modum inter se different, prout nempe unius aut alterius principii major aut minor quantitas eorum ingreditur mixtionem, quam si accurate determinare volumus, examine Ignis id effici debet. Cum vero nec scopus noster sit, nec angustia pagellarum concedat, singulos corporis nostri humores, eorumque mixturam chymice perscrutari, loco speciminis in præsentiarum inserviat sanguis. Hic si recenter e vena emissus leniori exsiccatur calore, duæ circiter partes liquidi in auras avolant, remanente parte tertia solidi: Quod si hoc ulterius Igne reverberii tractatur, prodibit Phlegma quoddam fere insipidum, quod sequitur liquor spirituosus & sat volatile, & denique prodit oleum, remanente in fundo retortæ terra nigricante. Usus hujus experimenti late sese diffundit non solum in Physiologiam sed etiam in reliquas Medicinæ partes: Movetur enim v. gr. in Physiologia quæstio, unde rubedo sanguinis? ad quam Chymiam edocti respondemus: ex principio sanguinis oleoso cum alcalino intime mixto; Et quod hæc a nobis allata causa etiam genuina ac vera sit, iterum a posteriori multis corroborare possumus experimentis chymicis, Lixivium enim ex sulphure & sale tartari vel alio alcalino paratum rubicundum evadit; Lac cum sale lixivioso decoctum, aut cum spiritu salis si digeritur, rubedinem contrahit, Et sulphurea portio sanguinis si aufertur, albicans remanet materia; alia omitto experimenta, quia hæc abunde demonstrant, rubedinem sanguinis provenire ex connubio principii sulphurei cum alcalino.

VII. Patet porro ex resolutione sanguinis chymica, vera caloris tam naturalis quam præternaturalis in corpore nostro causa. Primo enim notum est, & multis experimentis evinci potest, principium æthereum in motu fortiori constitutum causam esse omnis caloris: Secundo: principium sulphureum sanguinis magnam ætheris quantitatem in sua fovet mixtione; si ergo sub motu progressivo sanguinis particula hæ sulphureo-æthericæ rubicundæ, lymphatico humari innatantes circa axin non solum motu intestino rotantur, sed & simul arteriarum & venarum lateribus sub motu progressivo sanguinis alliduntur, calor inde excitatur, qui eo vehementior, quo plures massa sanguinea continet particulas sulphureas, & quo fortior motus ille progressivus & aliforius observatur. Ex quibus facile elucescit, quid de aliorum opinionibus, qui chymicis experimentis destituti, ex calido innato, flammula vitali, fermentatione, & aliis, quæ tamen nullo modo in corpore nostro demonstrari possunt, caloris causam deducunt, sit censendum.

VIII. Examen sanguinis chymicum, cum aliis experimentis collatum, ulterius nos docet, quod pronitas corporis nostri ad putredinem a principio sulphureo proveniat, si enim sanguinis portio quædam liberiori exponitur aëri, cito in putredinem ruit foetidissimam, quod etiam non raro in corpore adhuc vivo contingere solet, videmus enim, quod sanguis plane omni motu progressivo destitutus in Sphaecelum ruat, qui nil aliud est, quam summa putredo sanguinis plane immobilis, in parte molliore incarcerati, cum abominabili foetore juncta. Variis vero experimentis probari potest, quod principium sulphureum cum humido junctum ope motus intestini, causa sit omnis putredinis: Qua de re legi meretur Ill. Fr. Hofmann. *Dissert. de Putredinis doctrina amplissimo usu in Medicina.*

IX. Ex operatione chymica, quæ sub titulo filtrationis venit, si nempe liquidum quoddam per chartam emporeticam colatur, totum discimus secretionis negotium; particula enim filtrandæ aut remanent in filtro, aut poros chartæ bibulæ transeunt, prout nempe crassiores aut exiliores existunt. Sic caput mortuum vitrioli aqua solutum, rubicundum existit, quod si vero colatur, lixivium secedit limpidum, remanente in filtro materia illa rubicunda crassiori, quæ subtiliores chartæ poros pertransire nequit; quod experimentum egregie ad secretiones & transcolationes, quæ in corpore nostro fiunt, applicare possu

possumus; pari enim ratione contingit, quod lymphæ subtilior portio in canalibus arctioribus secedat, remanente substantia illa rubicunda, quæ arctos hosce canaliculos transire non potest; Falsa itaque est eorum sententia, qui putant, quod fermentum quasi specificum colatorum corporis nostri inhæreat, aut quasi certa relatio inter poros colatorum & figuras humorum derur, ut nempe quidam canales solum triangulares, alii vero cubicas aut rotundas transmitterent particulas.

X. Multa quidem adhuc superessent argumenta ad demonstrandam necessitatem Ghymix in Physiologia, sed sufficiant allata, quapropter progredior jam ad alteram medicinæ parrem nempe Hygieinem. Hæc tradit præcepta, quomodo sanitas per usum rerum sic dictarum non naturalium legitimum illibata conservanda, & morbi per regulas diæteticas præservandi: quomodo vero id artifex rationaliter efficere possit, nisi ope chymix, ego plane non video. Hæc enim nos docet chylum, & inde elaboratam materiam nutritionis proximam, gaudere principio gelatinoso, fluido, temperato, imo omnes corporis nostri partes ope coctionis in similem resolvi gelatinam; Unde axioma illud generale diæteticum formari potest: Quæcunque alimenta materiam gelatinosam temperatam in sinu suo fovent, ea etiam optime nutriunt. Quænam vero hæc sunt alimenta iterum chymica nos docet analysis: Constant enim ex his principiis plurima semina, & ex his paratus panis, lac, & ex eo proveniens caseus & butyrum, carnes juniorum animantium, & præsertim eorum extremitates. Non autem sufficit cibos optimæ notæ ratione qualitatis eligere; sed debita præsertim quantitas, & proportio solidorum ad fluida determinari debet, quod optime ope chymix fieri potest, illa enim docet, quod humores corporis nostri fere ex duabus partibus fluidi, & una solidi sint compositi, quapropter etiam diætam sic adornare solemus, ut ad minimum duas liquidi & unam partem solidi assumere suadeamus; quæ regula tamen pro differentia subjectorum aliarumque circumstantiarum non raro patitur exceptionem.

XI. Requiritur porro multoties Judicium Medici, de aquis, cerevisiis, vinis, aliisque aut potulentis aut esculentis; Quod rationaliter si formare cupit, ope ignis subjectum illud in sua resolvat principia, & tunc a priori accurate determinare poterit, quinam effectus ab eorum usu diætetico sperandus. Nam Medici primum officium in eo consistere persuasum habeo, ut non solum quæ corpori nostro



nocent, removeat; & quæ profunt, fuadeat; sed & simul rationes reddere debet artifex cur noceant, vel profint. Sic v. gr. dantur inter ipsa alimenta quædam, quæ si nimia assumuntur quantitate insignem corpori labem afferre valent, quomodo vero id efficiant, iterum chymia ostendit; videmus enim Spiritum Vini, Acidâ, Adstringentia humores in momento coagulare posse; hinc sub Diæta minime omnibus promiscue concedenda, sed potius instar Medicamenti aut corrigentis adhibenda sunt.

XII. Porro in Pathologia (quæ secundum Ill. Hoffmannum est: Scientia corporis nostri, quatenus varie læditur, morbisque est obnoxium, qui ex certis signis dignoscuntur & dijudicantur,) claris documentis necessitas Chymix demonstrari potest. Occurrunt enim permulta phænomena ac symptomata, quæ nonnisi a Medico ope Chymix explicari queunt: cujus rei testimonia quædam afferre placet. Ita nemo solide enucleare poterit concretionum Polyposarum originem ac generationem ex nimio potu Spiritus vini, aut ex acidorum abusu, nisi per Chymiam eruditus, quod nimirum Spiritus Vini & singula acidâ humores corporis nostri coagulando fluidam portionem a solida separent, ut coagulum spissum evadat, quod etiam in corpore nostro non aliter contingere solet. Chymia etiam est, quæ nos docet, qualis de Cura Polypi prognosis formanda sit. Hic enim exemptus ex corpore nullo modo solvi potest, nisi ope affusionis lixiviorum acerrimorum, quia vero hæc in corpore vivo immediate applicari nequeunt, sequitur quod hic morbus plane incurabilis sit, optime autem præservari possit, positive per usum leniorum diluentium, motum sufficientem, & omnia, quæ sanguinem in fluiditate conservant, remote vero per omissionem acidorum, spirituosorum, & singulorum quæ sanguinis augere solent spissitudinem.

XIII. Infantes in quibus primæ viæ acido turgent, sæpius multa ac gravissima patiuntur symptomata v. gr. epilepsiam, convulsiones, tormina ventris sævissima, adstrictiones alvi pertinaces, a lacte assumto. Quis quæso hæc symptomata ab hac deducere valet causa, nisi Chymia rudis, quod acidâ lacti affusa illud coagulent, materia vero remanens per fermentationem acerrima evadat, unde jam in propatulo est, quare lac coagulatum tam acerbia sequantur symptomata: materia enim illa acris intimius inhæret membranulis nervosis valde sensilibus ventriculi & intestinorum, quas stimulando, vellicando, arrodendo, ita

fenfibiliter afficit, ut totum nervofarum partium fyftema in confenfum trahatur & fpasmodice afficiatur, unde non mirum quod convulfiones epilepfiz &c. preffo fequeantur pede.

XIV. Verum & rationalem conceptum de generatione calculi quis fibi formare, aut inter diverfas de ejus genefi opiniones veram eligere poterit, nifi ope ignis chymice calculum in fua recluderet principia. Oritur autem calculus ex materia duplici, fluida nempe gelatinofa mucida, & folida terreftri falina fixa, quæ a fluida illa materia inftar glutinis ligatur, & poftea fucceffive exficcata inftar lapidis indurefcit, uti idem obfervamus fi albumen ovi cum calce viva mifcemus. Falfæ itaque mihi videntur aliorum fententiæ, qui natales calculi vel deducunt ex materia calcarea, v. gr. aquis, quæ turgent falino calcareo lapidefcente principio, vel ex fale tartareo Urinæ. Diffolvuntur enim hi calculi neque ab acido leniori, neque cum eodem efferuefcunt, nec a fale tartari fixo addito odorem fpargunt volatilem; prunis vero injecti hunc edunt odorem, & a fpiritu fumante diffolvuntur, luculento teftimonio, quod de materia lymphæ analogæ participant. Quæ difquifitio calculorum chymica infignem habet ufum tam in eorum cura quam præfervatione. Quod argumentum eleganter & fat doctè pertractavit DD. Hubnerus in *Diff. de obferv. & Cam. Præf. in curatione calculi Præf Hoffm.*

XV. Notum eft porro, quod diverfa, quæ in noftro generantur corpore falia, diverfis etiam morbis anfam præbeant; quis vero eorum generationem explicare poterit, nifi ope chymiz id perficiat? Pro diverfitate enim horum falium, & variorum locorum, quibus fixius inhærent, multi oriuntur morbi: v. gr. rheumatismi, arthritici dolores, podagra, febres exanthematicæ, odontalgiz, hemicranicæ, tormina ventris, flatus, biliofæ dejectiones, ut alia quæ inde provenire folent incommoda taceamus, & potius B. L. ablegemus ad III. Hoffm. *Diff. de generatione Salium morbof. in corpore.* Ubi tamen nequitiam in Pathologia horum affectuum plethoram & congestiones plane excludere volumus, quippe quæ non raro cauſæ exiftunt proximæ ut plurimum vero folum antecedentes, & generationem Salium ut effectum congestionis & morbi cauſam proximam poſt fe relinquunt. Notum enim eft, quod in omnibus congestionibus major humorum quantitas ad partem affectam impellatur, eamque diffendat, & fic tonum hebetet naturalem, unde fanguis ægrius per illam circulatur partem,

tem, & quasi leviter stagnat, sub qua mora liquidior sanguinis portio seu lymphæ sero inquinata secedit, & majorem contrahens acridinem partes sensibiles tendineas, membranaceo-nerveas stimulando atrocissimos causatur dolores,

XVI. Non vero sufficit, morbos solum nosse, eorumque veram originem ac causas tam proximas quam antecedentes recensere, sed primum potius Medici officium in eo consistit, ut per apta morborumque indoli accommodata remedia, eos tollat; Quænam vero hæc sint, optime eum docebit chymia, quippe quæ, interna remedium recludens, eorum monstrat principia. Sic si saburra acida in ventriculo peccat, alcalina absorbentia propinabit Medicus, utpote quæ spiculas acidi involvendo in sal neutrum illud convertunt. Si nimius adest æstus ac orgasmus sanguinis, qui provenire solet vel a nimia copia particularum sulphurearum, vel ab eorum aucto motu, remedia quæ sulphuream sanguinis portionem partim refrigerant, partim leniter evacuant optime conducunt, qualia sunt leniora diluentia, acida, nitrosa, &c. Si vero Circulus sanguis debilitatur, vires & calor naturalis deficiunt, remedia leniora analeptica sulphureo blando principio prædita, propinanda sunt e. gr. Vinum generosum, utpote omnium optimum analepticum, blandiora diaphoretica & simul leniter roborantia. Maximam enim lucem rationali scenerat therapia, si Medicus veram operandi remedium rationem noscit, quam unice ex chymia deprimere debet, cujus rei unum tantum exemplum adhuc afferre placet. Videmus e. g. quod magnesia alba, nec non alia quædam terrea, hypochondriacis, & aliis qui multum acidi in primis viis fovent oblata, leniter alvum subducant, quis vero methodum operandi explicare poterit, nisi ex chymia illi constet, quod terrea alcalina cum acidis remixta in sal neutrum abeant, quod postea virtute pollens stimulandi teneras intestinorum membranulas, alvum leniter laxat.

XVII. Hæc sunt quæ de necessitate chymia in stabilienda rationali & vera theoria medica breviter quidem, sat tamen ut puto luculenter, in medium proferre constitui. Fateor quidem lubens argumenti hujus dignitatem exegisse ut thema illud prolixius pertractassem, ast cum animus non fuerit, integrum conscribere tractatum de singulis chymia utilitatibus, quas Medicinæ præstat, sed solum speciminis loco Dissertatiunculam edere, quæ finem habuit præfixum demonstrare, quod Medicina sine chymia numquam rationaliter tractari possit, quædam

saltem pro lubitu ex singulis Medicinæ partibus ad hanc nostram sententiam confirmandam selegi argumenta. Benevolus itaque Lector pro sua qua pollet benevolentia condonabit, si thematis amplitudini nostra elaborationis brevitatis non responderet. Deo interim T. O. M. supplex ago gratias, quod me ex divina sua misericordia non solum huicque tam clementer nutriverit, nec non Patronum Parentum vices largiter suppletem donaverit, sed & quod sufficienter ad huncce laborem vires mihi benevole concesserit. Assiste ulterius Tu Summum Numen, Æterna Lux omnibus conatibus ac laboribus meis, ut præsertim in tui Gloriam proximique emolumentum cedant, & singula mea ccepta beatum assequantur.

## F I N E M.

---

Sieh' da mein Freund / womit GALENUS dich beehret/  
 Für deinen grossen Fleisz; für deine grosse treu  
 Die du hast angewandt / iudem du aus der spreu  
 Das reinste Weitzen Korn mit Fleis heraus getehret  
 Glück Zu! Glück Zu! ruff ich dir und dem Vaterland  
 Doch wechsele nicht dein Hertz mit diesem wechsel stand.

Dieses hat zu bezeugung seiner Ergebenheit  
 hinzusetzen wollen

SJOZSMUND ADAM DE WOLFF.